

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

Dissertatio Medica Sistens Naevorvm Origines

Gruner, Christian Gottfried Gruner, Christian Gottfried

Ienae, 1778

VD18 13134485

Vorwort

urn:nbn:de:gbv:45:1-15050



PROOEMIUM.

 Si qua physiologiae pars, post tot egregia
magnorum physiologorum conamina,
sive spectes phaenomenorum explica-
tionem, sive experimentorum minus
rectam institutionem, quasi in puteo Democriti abscon-
dita latuit; delituit profecto doctrina de *generatione*.
Etenim ad hanc rite perscrutandam, magnus profecto
requiritur labor, cui subeundo ac sustinendo plurimi

A

nec

A

2

S





nec assiduitatis laude, nec doctrinae copia pares sunt; fuit vero, si qua alia, diligenti medicorum inuestigatione, nostro praesertim seculo, maxime digna. *Subiit enim hunc laborem medicorum nostrae memoriae facile princeps* Perill. DE HALLER, cuius acerbum funus per orbem terrarum lugent omnes boni vereque eruditi, cuiusque praeclarissimorum meritorum in rem anatomicam et physiologicam, imo vniuersam medicinam atque rem publicam litterariam tanta fuit copia, vt eorum numerum vix inire, nedum dignis laudum encomiis recte decenterque extollere queam. Primus fuit, qui, vt alter Phoebus, spissas huius doctrinae tenebras discuteret, indefesso studio et adhibita omni, qua fieri poterat, accuratatione experimenta institueret, et ingenii permagno acumine *evolutionis systema* stabiliret, cui e diametro opposita est epigeneseos et animae vis plasticae hypothesis. Vtuntur huius theoriae fautores obseruatione naeuorum, tanquam principe ac vnico argumento, rati, a matris terrore, desiderio, odio rel. non fetum solum in vtero mutari, sed etiam subitaneo adspectu rei non ante visae vel foedae nasci in infante posse figuram quandam, rem illam perfecte referentem. Si quis vnquam talis praedudicii euertendi fuit studiosior, certe fuit Perill. DE

HAL-




HALLER, quem posthaec alii viri in arte medica longe clarissimi sunt secuti; magnaeque inde ortae controuersiae. Quare cum hoc argumentum, vt inter omnes constat, difficile explicatu sit, et doctrinam haud tenuem postulet, non dubito, fore multos, qui admirentur, me iuuenem, scientia leuem et biennium tantum studiis academicis innutritum, hoc diffusum et arduum opus fuisse aggressum. Sed id vnicum mihi propositum est, vt, qualia demumcunque de naeuis apud auctores inueniam, in medium proferam candideque recenseam, ideoque in prima parte argumenta physiologica a clarissimis aduersariis allata fideliter et enarrem, et, quoad eius fieri possit, confutem, vnaque observationes de naeuis adducam et examini subiiciam, denique opinionem Hallerianam, quae mihi certe esse videtur perquam probabilis, quam diligentissime ante oculos ponam. In altera autem parte quaedam ad semioticen et therapiam spectantia pro viribus explicabo. *Ceterum Viro Illustri* et mea laude longe superiori, GRVNERO, *Fautori ac Praeceptor* ad cineres vsque deuenerando, cui innumera in me collata merita debeo, id etiam beneficii sincera pietate acceptum refero, quod me incitarit ad hancce commentationem conscribendam, ne crambem centies coctam recoquerem, sed etiam



pro singulari sua benevolentia instructissimam librariam supellectilem mecum communicare voluerit. In quo exequendo si ita versatus fuero, ut artis salutaris peritissimi huic specimini calculum album adiacere haud detrectent, plausus iste bonorum virorum, quibus placuisse vera demum laus est, mihi incitamento erit, strenue pergendi in litterarum studiis; Sin minus, certe ignoscant virium mearum tenuitati, qua difficillimam doctrinam, nondum perspectam mihi satis, explicandam sumsi, adeoque si qua in re errarim, de quo nullus dubito, ab optimo quoque perhumaniter me moneri facile patiar, secundum illud poetae:

Id mihi satis est, haec una potentia nostra est.

Ipsè docet, quid agam. Fas est et ab hoste doceri.



tates, poma grauida, poma foliis coronata, flores mutatis flaminibus rel. contrariam sententiam dubiam reddunt. His enarratis, facile est ad perspiciendum, argumenta aduersariorum a priori sumta nihil comprobare posse. Quare etiam magnus BOERHAVIUS *o*) aperte ac candide fatetur, se modum effectus ideae imaginariae plane ignorare, ideoque statuit, melius esse in facti veritate consistere, quam temere fingendo naturam tollere. Et SWIETENIVS *p*), item KRÜGERVS *q*), existimant, cum multae de hac re ab auctoribus fide dignissimis allegatae sint obseruationes, neque vires naturae satis explicitae atque perfectae, ideo facta negare simpliciter haud licere. Igitur nunc nostrum est, haec obseruationes perlustrare, et fidem probabilitatemque diiudicare; quod difficile ac arduum opus in secundo capite pro viribus aggrediar.

CAPVT II.
OBSERVATIONVM HISTORICARVM
EXAMEN.

§. XXVI.

Introitus.

Cogitanti mihi innumerum historiarum et obseruationum multitudinem, quibus aduersarii cum e plebe, tum e docta familia, sententiam de naeuorum ortu corroborare student, horret profecto mens, atque capilli stupent. Neque temere. Nam ferrea prorsum opus esse videtur diligentia et incredibili labore, ad perlegendas omnes istas lepidas historiolas, et maximo volumine, si velimus eas omnino omnes huc transcribere, et fere illud poetae huc accommodes:

Promptius

- o*) BOERHAVE De morbis neruorum p. 467.
p) SWIETENIVS Comment. T. III. p. 406.
q) *Naturlehre* P. II. p. 816.

